



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Priori Et Clericis sancti Petri extra portam Spoleti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

MVTINEN. EPISCOPO.

Epist. 13.
Temerarie ap-
pellationes non
sunt recipiendae.

Benignitate juris plurimi hodie abu-
tentes, in sui erroris defensionem
assumunt quod in gravaminum fuerat
relevationem inventum; & ut suorum
superiorum correctionem eludant, sine
causa frequenter ad apostolicam sedem
appellant. Sanè ad audientiam aposto-
latus nostri pervenit quòd quidam Cle-
rici Mutinen. diocesis turpia usurarum
lucra captantes, fornicationibus, & adul-
teriis, & aliis criminibus dediti, clerical-
lem honestatem inhonestè vivendo dif-
famant: in quos si quando canonicè ani-
madvertere fortè volueris, ad audien-
tiam apostolicæ sedis appellat. Quia
verò appellationis remedium est inven-
tum non in diffugium malignantium,
sed in remedium oppressorum, frater-
nitati tuæ auctoritate præsentium indug-
gemus ut ad talium correctionem cano-
nicam, si eorum crimina fuerint manife-
sta, omni appellatione remota, si verò
non manifesta fuerint, appellatione fru-
stratoria non obstantè procedas. Nulli
ergo &c. Datum Laterani VII. Idus
Martij.

ARGENTIN. EPISCOPO.

Epist. 14.
Ne incendiarij
& excommuni-
cati in Ecclesia
spectentur.

AD audientiam nostram noveris
pervenisse quòd in tua diocesi,
contra sanctiones canonicas & consuetu-
dinem hætenus approbatam, excom-
municati propter crimen incendij per
violentiam laicalem traduntur sepultu-
ræ ecclesiasticæ. Quia verò id redundat
in Ecclesiarum omnium & juris ecclesia-
stici læsionem, fraternitati tuæ per apo-
stolica scripta mandamus & districtè
præcipimus quatenus ex parte nostra di-
strictè inhibeas, ne qui excommunicatos
hujusmodi in cæmiterio audeant eccle-
siastico tumulare. Quòd si secùs (quod
non credimus) fuerit fortè præsumptum,
tam præsumptores quàm defensores eo-
rum in tua diocesi constitutos, monitio-
ne præmissa, usque ad satisfactionem con-
dignam excommunicationis sententia
sublato appellationis obstaculo innoda-
re procures. Quòd si nec sic à sua volue-
rint præsumptione cessare, terras eorum
subjicias sententiæ interdicti. Tumula-
tos verò, qui ob dictam causam excom-
municati, non percepto absolutionis be-
neficio decesserunt, à cæmiterio facias
Christiano expelli. Illis autem qui resi-

puerint, & condignam voluerint agere
pœnitentiam, si propter inevitabiles ca-
sus ad sedem apostolicam accedere non
valuerint, recepto publicè juramento
quòd super hoc nostro debeant parere
mandato, beneficium absolutionis impen-
das. Taliter super prædictis manda-
tum apostolicum impleturus, quòd alio-
rum culpa in pœnam tuam non de-
beat retorqueri. Datum Laterani XVI.
Kalend. Aprilis, pontificatus nostri an-
no secundo.

Vide supra lib.
1. epist. 572.

*In eundem modum Archiepiscopis & * Episcopis per Tentoniam constitutis.* * In codice Col-
bertiano &
Prælati.

PRIORI ET CLERICIS
sancti Petri extra portam Spoleti.

Cum inter venerab. fratrem no-
strum B. Spoletanum Episcopum
ex una parte, & vos ex altera, super
plebe sancti Brictij cum capellis suis, &
Ecclesia sancti * Gregorij in Xenodo-
chio, quæ pro parte media utrinque
mutuò petebatur, & capellis sancti
Pauli de Azano & sancti Angeli de Naci,
controversia verteretur, eam dilecto fi-
lio nostro G. sancti Nicolai in carcere
Tulliano Diacono Cardinali commisi-
mus terminandam. Ipse verò, auditis
rationibus partium, & plenius intelle-
ctis, habito consilio quorundam de fra-
tribus nostris & aliorum prudentum
virorum, pro vobis sententiam de no-
stro mandato apud sedem apostol. pro-
mulgavit, quemadmodum in suis lite-
ris plenius continetur. Nos ergo sen-
tentiam ipsam, sicut rationabiliter lata
est, ratam habentes, eam auctoritate
apostolica confirmamus &c. Salvo qua-
tuor solidorum illius monetæ quæ tunc
in civitate Spoletana currebat per an-
nos singulos Episcopo memorato, quod
bonæ memoriæ M. prædecessor ejus
in prædicta plebe sibi noscitur reser-
vasse, sicut in authentico factæ vobis
donationis ab ipso reperitur expressum.
Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI.
Kalend. Aprilis, pontificatus nostri an-
no secundo.

Epist. 15.
Quòd senten-
tiam inter ipsos
& Episcopum
Spoletanum à
Cardinali lata
confirmavit.
* In codice Col-
bertiano Geor-
gij

R. ABBATI S. IVLIANI,
& I. Priori S. Gregorij Spoletani.

Cum inter venerabilem fratrem
nostrum &c. ut supra serè in eun-
dem modum usque ad verbum continetur.
Vt autem nihil moræ vel difficultatis

Epist. 16.
Vt in possessio-
nem rei adjudi-
catæ inducatur.